

1219 vulgus, ut arbitror, appellat. Cretam Dosiades ab Hesperidis filia nominatam credidit: Anaximander a rege Curetum: Philistides & Crates Aeriam primo, inde Curetim dictam tradiderunt: unde nomen ipsum postea factum facile suspicari possis. Eudoxus (nam de ejus situ est aliquid breviter dicendum) in Ægeo mari insulam ipsam esse existimavit: sed diligentiores diversis æquoribus allui prodiderunt, Ægeo, Cretico, Lybico, Ægyptio, ac Carpathio. Apollodorus longitudinem insulæ duobus millibus & trecentis stadiis constare credidit: quatuor millibus Arthemidorus ac centum, quæ ab occasu ad ortum longissimo tractu excurrat: quidam duo millia, nec amplius, fecere; latitudinem vero inæqualem: eam Plinius nusquam quinquaginta passuum millia excedere arbitratus est: longitudinem ducenta septuaginta: quingenta vero circuitum ipsum ac nonaginta. Est præterea insula sane densa, ac tota ferme montuosa: valles habet frugiferas: montes in occasum spectantes miræ altitudinis, Taygeto Laconiæ monte nihilo inferiores. In medio, ubi latissime panditur, mons Idæus surgit Cretensium omnium altissimus, de quo multa in fabulis. Ephorus antiquissimos incolas legibus a Rhadamanto primum instructos tradidit, & ad urbes incolendas, & ad mansuetiores vivendi ritus perductos: quem Minos fecutus, & ipse, legibus decretisque in medium propositis, ad justitiam severius colendam instituit. Antiquæ hujus institutionis optimos primariosque Græciæ populos, in primisque Lacedæmonios, sectatores æmulosque fuisse, idem auctor ac Plato crediderunt. Sed in pejus omnibus, ut Strabo ait, mutatis, sanctior ille vivendi ritus defluxit, moresque omnino mutati. Ipsa primo piratarum incursibus, inde interjecto tempore Romanis armis non vexata solum, sed etiam subacta, sub tanti imperii umbra aliquandiu quievit. Quo postea inclinante, quum Constantinus Princeps illius majestatem decusque ornne Byzantium transtulisset, cœpissetque novissime, quod unum fuit, bifarium imperium administrari, duosque habere moderatores, ut Græciæ rebus hic, ille Italiæ præcesset: tum

vero